

## Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 79

In nomine sancte et individue Trinitatis, Eueracrus miseratu solummodo Salvatoris, sancte Marie virginis sanctique martiris Christi Lamberti Leodiensis ecclesie episcopus. Noverit igitur omnium Christi fidelium presentium scilicet et futurorum sollertia, qualiter venerabilis abba Werenfridus ceterique fratres Stabulensis ecclesie nostram adeuntes mansuetudinem omnimodis expetierunt quatinus, propter diversos regni hujus multiplicesque persecutionis eventus, aliquot civitatis nostre saticum in quo e diversis partibus venientes confugium facerent, clementi miseratione contulissemus. Quorum petitionibus consensu fidelium nostrorum adquiescentes, contulimus eis quoddam saticum, in confinibus scilicet Adelberonis et Bosonis atque Adelardi situm, cum omnibus casticiis superpositis ad partem ipsorum ecclesie tenendum. Ea videlicet ratione, ut ab hac die et deinceps ipsum predictum atque integrum saticum in usus ipsorum sine censu aliquo teneant, habeant atque jure firmissimo perpetualiter possideant. Si quis vero successorum nostrorum seu quolibet extranea persona hanc traditionis nostre auctoritatem infringere temptaverit, auctoritate Patris et Filii et Spiritus sancti sanctorumque canonum atque nostra petimus et interdiciamus ne ullo modo fiat. Si vero ab hac intentione se non retraxerit, iram omnipotentis Dei incurrat et a liminibus sancte Dei ecclesie sequestratus appareat partemque cum dyabolo et sociis ejus eternaliter habeat. Ut autem hec traditio nostra in reliquum tempus firmior permaneat, anullo nostro signari et manu fidelium nostrorum jussimus roborari. Signum meimet Eueracrus episcopus qui hanc auctoritatem fieri jussit. Signum Lamberti, Huberti advocati, Regineri thelonearii, Fulcuini, Rotzoni, Johannis prepositi, Rasteduni, Guntranni abbatis, Natranni custodis, Bouonis archydiachoni, Gisleberti archydiachoni, Bouonis, Franchonis, Lietbrandi prepositi, Adelulfi, Gozberti, Eilgaudi, Gisleberti, Tietboldi, Franconis, Euerardi, Ratzonis, Bosonis et Adelardi, Lietgeri et Adelberonis, item Adelberonis et Guntmari, Remigisi et Framerici, Adelgeri.

Data kal. jul. anno Domini DCCCCLXI, indictione III, regnante vero gloriosissimo rege Ottone XXIII.